



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XX. De Corpore vitiatis Ordinandis vel non.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

sitt. Suarez n. 16. Lainan n. 5. & Palao n. 13.

Cæterum, sicut cum non plenè manumissis & aliis personaliter obligatis, sic etiam cum iis, qui ratione administrationis rerum temporalium reddendis rationibus obnoxii sunt, ad Ordines dispensare solus Papa potest, & non facile, rarif-

simèque solet; cum propter damni & infamiae in Ecclesiam redundaturæ periculum: tum verò propter præjudicium eorum, quorum res administrarunt, ut iterum testis est Curia Romanae styli peritissimus Corradus *Prax. Dispens. Apostol. Lib. 3. cap. 8. n. 2.*



TITVLVS XX.

De Corpore vitiatis Ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|---|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. Irregulares sunt corpore vitiati, 2. Ex membri mutilatione, 3. Vel debilitate: 4. Ex deformitate vel morbo, 5. Impedientibus decentem Ordinum usum. 6. Tales sunt, qui brachio, manu, istruisve pollice vel indice carent: 7. Capti pedibus vel enormiter claudicantes, 8. Oculò orbatì vel caci sinistro 9. Naribus vel auribus mutilati, 10. Muti & surdi, 11. Monstrofi, 12. Leprosi, furiosi, phrenetici, arreptitii cum similibus: 13. Abstemiis & qui valde frequentes vomitus patiuntur: 14. Qui etiam ad minores Ordines nequeunt promoveri. 15. Promoti tamen ministrare aliquando permittuntur, | <ol style="list-style-type: none"> 16. In dubio Episcopus de ordinandi: 17. De ordinati irregularitate aliquando alii iudicant. 18. Ordinari nequit, qui partem corporis sui voluntariè abscidit. 19. Non etiam, qui rei illicita, 20. Etiam ex se periculosa operam dans sui mutilationi causam dedit: 21. Nisi in illam, 22. Etiam vocis retinenda causâ liberè consenserit. 23. In hac irregularitate dispensat Papa: 24. Cum absentibus tamen per Episcopos: 25. Qui illam, ex delicto occulto ortam, etiam propria auctoritate relaxant. |
|--|---|

Ordinationis sacrae frequens impedimentum est vitium seu defectus corporis: quod functionibus Ecclesiasticis introductum est ad imitationem Veteris Legis; in hac enim,

I.

hac enim quicumque vitium aut maculam corporis haberent, à Dei ministerio arcebantur, Levitici *cap. 21. à V. 17.* Quin ductu ipsius Gentilitatis; nam & ista corpore mutilatos sive, ut Tacitus loquitur, multatos, aut aliàs vitiatos ad Sacerdotium & sacrificia non admittit, teste Seneca *Lib. 4. controvers. 2. & Halicarnass. Lib. 2. cap. 3.*

Ex vitio autem sive defectu corporis, tanquā irregulares, Hostiens. *in Summa hic & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 42.* uterque *n. 1.* à sacra Ordinatione & ministerio Divino repellit, ajunt, Mutilatos, Debilitatos, Deformes: quibus addi possunt Morbosi.

Mutilati propriè dicuntur, quibus amputata sive abscissa est aliqua pars corporis, quæ notabilem & peculiarem, sive ab aliis illius partibus distinctam & diversam functionem & officium habet, ut sunt oculus, auris, nares, lingua, manus, pes, genitalia & similia; non etiam digitus, dens, pars carnis; quia ista partes potius sunt membrorum, quibus in functionibus suis cooperantur, quàm membra, *arg. 1. Idem Ofius 10. pr. & 1. Cui dens 11. ff. de Edict. Edict.* quia membra ex distinctis & notabiliter diversis actibus distinguuntur, Roman. *cap. 12. v. 4. & can. 1. dist. 83. Panormit. in c. Cum illorum 32. de Sent. excom. n. 8. Clarus §. fin. q. 69. n. 16. Covarruvias in Clement. Si furiosus p. 3. pr. n. 8. & Farinac. Prax. Criminal. q. 19. à n. 23.*

Debilitati, qui, licet membra omnia & integra habeant, eorum tamen unum saltem, propter alimentum & spiritus animales interceptos &c. inutile & insufficientes habent ad functiones & ministerium, ad quod præstandum à natura est ordinatum, ut sunt oculus cæcus, auris surda, manus vel pes aridus, crus con-

tractum &c. Corradus *Prax. Dignit. Apost. lib. 3. cap. 6. n. 4.*

Deformes, qui habent notabilem maculam, vel membri alicujus defectum, vel contractionem vel distortionem, corporis decorem tollentem; ut in interdentibus scandalum, horrorem aut rictum facile excitet, ut sunt gibbus, claudicans, enormis curvitas, lepra, scabies, rubeo cicatrix in facie, morbus Gallicus, &c. prodens, paralysis &c.

Morbosi præter eos, qui lacera, tumor aut defluentia membra habent, sunt qui patiuntur symptomata, corporis membrorum usum aut animi functiones per temporis intervalla adimenda &c. aliis generantia horrorem, ut caducitas, morbo aut phrenesi laborantes, furiositates, arreptitii & similes solent.

Quantumvis autem hujusmodi corpore vitiati à Sacerdotio & ministerio à Lege Veteri planè omnes: in Novum ab Ordinatione & ministerio non saltem quando vitia nullà vitiata corpora contracta sunt, si tantum repelluntur, quorum corporales defectus congruam Ordinum exercitium, & Missarum præsertim celebrationem impediunt, vitiosam afferunt deformitatem; ut in laborantes sine indecentia, periculo reverentiæ vel scandalo sive offensione populi sacrum ministerium peragere non possint, ut colligitur ex textibus memoratis legandis & certæ Regulæ instar tractantur Anton. de Butrio *in c. fin. n. 1. Novus Manual. cap. 27. n. 200. Covarruvias Clement. cit. p. 1. pr. n. 5. §. Prior & Liberman Lib. 1. Tract. 5. p. 5. cap. 7. n. 6.*

Ex tali itaque vitio Ordinari nequeunt. Primò, cui utrumque vel alterum tantum brachium, vel manus aut pes sunt amputata, *c. Exposuisti 6. cui duo digiti cum medietate palmæ abscissi. c. Preceptorium 2. de Clerico agrot. imò &c. cui solus*

flextræ vel finistræ manûs pollex vel index est ablatuſ, *arg. c. 1. & c. fin.* quibus textibus is, qui partem ſive articulum aut unguſam digiti, ad ſacram hoſtiam frangendam neceſſarii, amiſit, ab irregularitate immunis habetur: iſtiusque ratio redditur; *Quòd, non perdidit tantùm de digito, quin ſine ſcandalo poſſit nihilominuſ ſolemniter ſeu publicè celebrare: c. fin. cit. autem;* quòd unguſa etiam amiſſa ad frangendam Euchariftiam ſit in pollice ipſo potens. Unde à contrario arguitur, irregularem fore, ſi amiſiſſet pollicem vel indicem totum; quòd ſolemniter celebrare nequeat ſine ſcandalo, & ad ſacram Euchariftiam, ſecundùm Rubricas, pollice & indice frangendam in amiſſo ejuſmodi digito non ſit potens, Navarrus *Manual. cap. 27. n. 198.* Covarruv. *pr. cit. n. 5.* Barboſa in *c. fin. cit. n. 4.* & Pirrhing ad *hanc Rubr. n. 4.* in cujuſ ſine rectè advertit, irregularitatem non induci amiſſione digiti, ad ſacram hoſtiam frangendam & levandam non neceſſarii: dummodo abſque ſcandalo celebrare & cruces formare poſſit, *can. Lator 1. 1. diſt. 55. ubi Gloſſa V. Siniftra, Selua de Benef. p. 3. q. 5. n. 44.* Barboſa *alleg. cit. n. 14.* & Laiman in *c. 1. cit. n. 1.*

Neque, cujuſvis partis pollicis vel indicis amiſſione irregularitatem contrahi, rectè inferitur ex eo; quòd *c. 1. cit. presbytero,* cui illius pars abſciſſa erat, opus fuerit Epifcopi permiſſione ſeu diſpenſatione; quia non ratione irregularitatis, eò corporis vitiò contractæ, diſpenſatione: ſed relaxatione pœnæ ſuſpenſionis, ob duelli oblato publicè ſcandalofam acceptionem imponendæ, presbytero opus fuit; idcirco enim non niſi peractâ poenitentia ad ſacrum altaris miniſterium admitti eſt permiſſus, Navarrus *1. cit. Suarez Diſp. 51. de Cenſur. ſ. 2. n. 7.* & Laiman in *c. cit. n. 2.*

Secundò, captus uſu pedum, ut his introire & ſtare ad altare Dei non poſſit: imò & claudus, ut abſque pede ligneo vel baculo incidere & conſiſtere nequeat, ordinari, præfertim in presbyterum, non poteſt, *can. Nullus Epifcopus 57. diſt. 1. de Conſec. Gloſſa ibi V. Cum baculo & in can. Si quis 10. V. eòdem diſt. 55.* Pannormit. in *c. Presbyterum cit. n. 3.* Navarrus *cap. cit. n. 199.* & Bonacina de *Cenſur. diſp. 7. q. 2. p. 2. n. 15.* Ratio eſt; quòd magna indecentia ſit, baculo ſultum progredi & conſiſtere ad altare. Si claudus progredi & pedibus inſiſtere ſine baculo poſſet, Ordinationem ejuſ claudicatio non impediret, *can. Si quis cit. Barboſa alleg. cit. n. 40.*

Tertiò, cui uterque vel alter duntaxat oculus erutus eſt, *can. 1. diſt. 49. & c. fin. diſt. 55. cujuſ V. In loco Gelafius Papa, Nam illi, inquit, cui erutus eſt oculus, non poſſunt ſecundùm canones Sacerdotii jura concedi;* quia ipſius organi oculi carentia notabilem parit deformitatem: uti & cæcus carens lumine oculi utriuſque vel ſaltem ſiniſtri: qui de Curia ſtylo *Oculus Canonis* vel *Canoniceus* vocatur. Sed, ut hoc verum ſit, quando ſine notabili & indecora faciei converſione Miſſæ Canon legi non poteſt: caſu tamen, quò oculus dexter virtute viſiva ita præſtaret, ut Canon legi decenter poſſet, irregularitatem non induci, cum Navarro *cit. n. 199.* tradunt *cit. Laiman n. 2.* & Diana *p. 4. tract. 2. reſol. 73. §. 5. Sed difficultas.* Multò minùſ quàm talis ab ordinatione removendus eſt lippus &, qui in oculo habet maculam vel albuginem, ſi ea faciem notabiliter non deformet, Henriquez *Lib. 14. cap. 8. §. 2. pr. & cit. Barboſa n. 31.*

Quartò, cui nares ſunt abſciſſæ vel ita parvæ aut grandes vel tortæ, ut earum parvitas, magnitudo, tortuoſitas faciem

Z z z

ita defor-

- ita deformet, ut intuentibus sit horroni, *can. 1. disp. 49. cit.* Selua *q. 6. n. 44.* & Barbofa *n. 32.* Eadem fere ratio est truncatarum aurium: nisi fortè istarum defectus capillis tegi possit, Coninck, *disp. 18. n. 108.* & *cit.* Laiman *n. 1.*
- IO.** Quintò, mutus & surdus, *can. 77. Apof.* licet eum, cui post Ordinationem facram surditas advenit, celebrare sine ministro respondente saltem privatim permitti sine dispensatione posse, cum Navarro *ad hanc Rubr. consil. 7. § 8.* velit Laiman *cit. cap. 7. n. 1.*
- II.** Sextò, monstrosi, sicut sunt hermaphroditus, etiamsi virilis sexus in eo prævaleat, juxta dicta *Tit. 11. n. 47.* gigas enormiter grandis & nanus ita exiguæ staturæ, ut pro exigentia ministerii Altaris brachia nequeat attollere: qui duo capita, quatuor, triæve brachia aut manus, gibbum vel curvitatē corporis ita enormem habet; ut se erigere & erectò corpore consistere non possit: qui brachium vel manum aridam, ventrem præturgidum, vultum habere exuberantem vel corrosivum carcinomate, scabie fætidum os, aut maculam aspectu horridam habet, *cit.* Bonacina *n. 6. § 10.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 6.* Addi his solet & potest, qui digitos in una manu fenos habet, eò tamen solummodo casu, quò digitus redundans pollicis vel indicis usum, ad sacræ hostiæ tractationem necessarium, impediret, & sine vitæ vel majoris deformitatis periculo non posset abscindi, *cit.* Henriquez *cap. 8. num. 3.* & Bonacina *num. 11.*
- 12.** Septimò, leprosus, *arg. c. De vestibus 3. § c. Tua nos 4. de Clerico egrot.* quorum textuum priori, lepræ morbò percusso Sacerdoti dari coadjutor: posteriori verò, ipse ab administrationis & spiritualis ministerii officio, ac proinde à publico Ordinum usu, multòque magis

ab ipsa Ordinatione, propter scandalum & abominationem populi, removeri jubetur, *cit.* Henriquez *cap. 8. § 8. pr.* Bonacina *n. 20.* & Barbofa *n. 49.* Quæcumvis autem talis, quædiu morbus durat, nequeat ordinari: eum tamen, qui post presbyteratus Ordinem jam susceptum in lepram incidit, privatim, & in leprochii Ecclesia vel capella leproso celebrare non prohibendum, cum Sylvester *V. Corpore viciati q. 7. c. ceter. cit.* Laiman *n. 3.*

Octavò, amentes, furiosi, paranoici, phrenetici, lunatici, arreptivi sive à dæmone obsessi: uti & caducò aliove ejusmodi morbò laborantes: qui licet ordinari nec soleant nec debeant, certum tamen, quando medicorum judicio integre convaluissè pronuntiatum fuerit, celebrationem admitti à prælatis Ecclesiasticis possunt, *cit.* Sylvester *q. 8. § Bonacina à n. 22.*

Nonò, abstemii sive, qui vinum omnino non bibunt; hi enim, cum lacum sanguinem sub specie panis sumere non valeant, ad Ordinis præsertim Sacerdotialis susceptionem admitti non possunt, ut cum Glossa *in can. Ipsi Apofolii V. de esse 2. q. 7.* & Panormit. *in c. Ex parte 1. de Celebr. Miss. n. 1.* docent Gutierrez *Q. Canon. cap. 4. n. 8.* & Barbofa *cit. alleg. 42. n. 54.*

Decimò, eum etiam, qui ob debilitatem vel frigiditatem stomachi valde frequentes & faciles vomitus patitur, ad lepram Ordinationem, & post Ordinem sacerdotalem susceptum ad Missarum celebrationem, propter periculum irreverentiæ sanctissimo Christi corpori & sanguini inferendæ, admittendum, nequeat, *cit.* Henriquez *§. 7.* & Barbofa *n. 54. ut supra que in fine.*

De aliquo ex relatis hæctenus allatis simili corporis viciò laborantibus tria sequenti

gentiori DD. calculò recepta & probè notanda sunt.

Primum est, eum, qui corporis vitio Ordinis sacerdotalis functionem præcipuam, sive Missarum celebrationem, impediendo laborat, non solum ad presbyteratus, sed ad cæteros quoque Ordines etiam minores & primam Tonsuram non promovendum, *citt. Navarrus n. 200. Suarez f. 2. n. 12. Garcias p. 7. de Benefic. cap. 12. n. 28. in hanc rem Rotæ decisionem allegans n. 29. citt. Bonacina n. 28. Palao p. 11. n. 4. & alii contra Sayrum, talem ad eum saltem Ordinem, cujus functionis sine notabili indecentia obeundæ capax est, admittentem Lib. 6. Theaur. cap. 7. n. 8. Sed contra sacros canones; quia isti, sicut bigamos, conjugatos, seruos &c. sic etiam corpore vitiatis divinis mysteriis applicari vetandò, *can. Non confidas 19. dist. 36. & ad Clericalem munus non admittantur, can. 1. dist. 55. ac proinde apertè removeantur ab ipsa prima Tonsura, per quam homo ad Ordinem seu statum & munus clericale transfertur à laicali, ut dictum Tit. 11. n. 3. in fine.**

15. Alterum, eum tamen, cujus Ordinationi ejusmodi corporis vitium seu defectus, Missarum celebrationem impediens, sine propria culpa supervenit, à sacro tantum ministerio illo: non etiam ab inferiorum, imò ipsius etiam sacerdotalis Ordinis functionibus, quas decenter obire potest, v.g. ab excipiendis penitentium confessionibus impediri, ut planè liquet ex rescripto Eugenii Papæ c. Presbyterum *citt. ubi, cum presbyterum, cui*

duo digiti cum medietate palmæ abscissi à prædione fuerunt, à Missæ celebratione removisset, *Ipsum autem, inquit, cæteris officiis sacerdotalibus fungi minimè prohibemus.* Unde etiam talis non solum, eò, quod in titulum obtinet, non privatur, *c. De rectoribus 3. & c. fin. de Clerico agrot. sed etiam beneficium simplex, Missæ celebrationem non exigens, conseq. potest, citt. Suarez n. 18. Palao n. 5. & Barbosa n. 56. dummodo, ut iste observat, ei annexò officio fungi possit, cum enim beneficium detur propter officium, *c. fin. de Rescript. in 6. qui non est istius, etiam illius capax non est. Ex qua ratione sacerdoti cæco; quòd horas Canonicas recitare nequeat, simplex beneficium conferri non posse, resolvit Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 130.**

Postremum, casu, quòd dubium est, 16. an vitium seu defectus corporis notabilem deformitatem & horrorem intuitibus vel usùs Ordinis impedimentum afferat, id prælati Ordinarii, sive Episcopi ejusque Vicarii generalis aut ad conferendos Ordines delegati, judicio determinandum, *arg. can. Communiter 3. in fine dist. 33. & c. Cum in tua 2. hic, ubi Glossa fin. Panormit. n. 1. Menoch. de Arbitr. jud. casu 226. à n. 7. Laiman in c. cit. n. 2. & Barbosa cit. alleg. 42. n. 62. Quantumvis etiam, prælatos exemptos de subditorum suorum ordinandorum irregularitate arbitrium ferre posse, communis doctrina sit, eorum tamen arbitriò stare Ordinarium dioecesanum ab eòve ad Ordinum collationem delegatum non teneri, ex communi aliorum sensu observant Suarez *citt. f. 2. n. 16. & Miranda Tom. 2. Manual. Pralat. q. 8. art. 3. concl. 1.**

Si vitium seu defectus corporis ordinationi Religiosi superveniat, an id sacerdotalis vel alterius Ordinis executionem im-

nem impediatur, ordinatum subditum suum ad Episcopum remittere praelatus saltem exemptus non tenetur: sed ipsemet iudicium ferre potest, an publicè vel privatim sacrificare, vel in alio Ordine ministrare sine notabili deformitate, irreverentiæ periculo vel scandalo possit; cum in subditos suos Regulares jurisdictionem habeat quasi-Episcopalem, c. *Abbatas* 3. de *Privileg. in 6.* Summa Angelica V. *Corpore vitiatum* n. 5. & *Miranda cit. art.* 3. *concl. 1.*

18. Præ iis, qui sine sua culpa corpore vitiatum sunt, irregulares cõmuni omnium iudiciõ habentur, qui corporis vitium voluntariè, aliquam illius partem per indignationem aut indiscretò zelò, causâ secundæ libidinis vel conservandæ Castitatis abscindendò, aut abscindi permittendò, contraxerunt; hi enim ab Ordinibus repelluntur, etsi defectus neque usum Ordinis impediatur, neque afferatur notabilem deformitatem: & probabilius etiam, si omnino sit occultus, ut contra *cit.* Covarruviam n. 6. docent *Garcias de Benef. p. 7. cap. 12. n. 5.* Molina *Tract. 3. de J. & J. disp. 70. n. 10.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 12.* Ratio est; quia in hac irregularitate non tam consideratur defectus aut deformitas ex abscissione relicta, quàm injuria Creatoris & sævitia voluntatis, sibi ipsi ferrum injicere temerè præsumptis, ut colligitur ex *can. Si quis 4. can. Hi qui 5. & can. Qui partem 8. disp. 55.* & confirmatur ex eo; quòd corporis mutilatio, Ordinum usum non impediens & nullam deformitatem afferens, quando casu, vel consiliò medici à chirurgo, vel ab aliis per vim & malitiam eò, qui mutilatus est, insciò aut saltem invitò facta est, irregularitatem non inducat, *can. Siquis à medicis 7. cum seqq. disp. cit. ce. Ex parte 3. & 5. hie.* Ex his

19. Dubium non leve movetur de eo,

qui culpabiliter v.g. rixandò, aut fornicationem vel adulterium committendò, causam dedit sui mutilationi, ab alio v.g. à proco, marito per injuriam, aut à iudice in pœnam illatæ. Quem irregularem cum *cit.* Covarruvia n. 6. & aliis *scilicet Barbofa in c. Ex parte 3. n. 3.* Verum, quia irregularitas non contrahitur, nisi in casibus Jure expressis, c. *Is qui 11. p. de Sentent. excommunicat. in 6.* Juris tamen textus de eo solo loquuntur, qui per se vel per alium sibi aliquam partem corporis voluntariè amputavit: non, qui amputationi violenter illatæ causam dedit, satis probabiliter talem ab irregularitate absolvent *cit.* *Garcias cap. 12. n. 7.* & aliis *relatis Palao p. 12. n. 3.*

Neque hac in re discrimen attendendum est inter eum, qui rei illatæ, præsertim ex se periculosa & mutilationis læsionisue corporalis periculum incurrens: & illum, qui rei illicitæ, cum tamen periculo non conjunctæ, operam dedit. Atq; pro irregulari is etiam habendus non est, qui prioris generis rei illicitæ operam dans corporis membrum istiusque partem alienò factò seu vi illata amisit, ut communis multorum Opinio est apud *Garciam cit. cap. 12. n. 11.* & de mutilatione corporis alieni dicitur *Lib. 5. tit. 12. n. 80.* quia discrimen hoc, quoad proprium membri istiusve partis abscissionem, operam irregularitatum materia exposcit, in parte fundatù non est; cum illicitæ acque eorum periculosa & cum membri amittendi periculo conjunctæ rei operam dantem, si membri parte amissâ nihilominus actus Ordinis exercere decenter valeat, ab irregularitate absolvendum, non obstat dicitur ex rescripto *Alexandri III. c. 1. cit. in Ordine suo ministrare* permittentis presbyterum, qui acceptatò duobus, re sive actù illicitò suaque naturâ manifestè periculosa, partem digiti amisit: *cap. 12. n. 11.*

cujus rationem Papa reddit; *Quod non perdidit tantum de digito, quin sine scandalo possit soleanniter*, id est, publicè, celebrare.

Neque in contrarium & pro discrimine illo facit; quòd *c. cit.* presbyter ille non nisi *Post peccatam penitentiam & misericorditer* celebrare fuerit permittus; quia ut *n. 6. in fine* dictum, pœnitentia ab illo peragenda fuit propter publicè scandalosam duelli oblati acceptationem: misericordiâ verò opus fuit; non, ut relaxaretur irregularitas: sed, ut suspensionis, propter excessus gravitatem infligendæ, poena ei remitteretur.

Neque etiam; quòd irregularis sit, qui, rei illicitæ & cum homicidii vel mutilationis periculo conjunctæ operam dans, occidit vel mutilat alterum; quia de hoc id Jure expressum est, *c. Sententiam 9. Ne Clerici vel monach. & c. Tuos 19. de Homicidio*: non etiam de eo, cui ejusmodi rei operam danti & directè non intendenti vel cooperanti membrum istiusve pars, decentem Ordinis usum non impediens, abscissa est ab alio; cùm sacri canones irregularem solummodo pronuntient eum, qui proprii corporis membrum istiusque partem, vg. genitalia, testes vel articulum digiti ipse abscidit vel abscindi procuravit, *cann. 21. & 22. Apostol. can. Si quis 4. can. Qui partem 6. dist. 55. & c. Ex parte 3. hic*: idque fecit ex indignatione vel ex indiscreto zelo, sive Castimonie conservandæ & huic inimicæ libidinis sedandæ causâ, *can. Maritum 2. dist. 33. can. Hi qui 5. junctâ Glosâ V. Abscidit & hic c. Significavit 4.* ut aded in irregularitate hac imponenda præcipuè considerata fuerit in seipsum lævendi voluntas, ut planè liquet ex *c. Qui partem cit.* verbis, *In illis voluntas est judicata, qua sibi ausa est ferrum injicere & ex c. Ex parte cit.* ibi,

Qui seipso absciderunt, vel affectarunt, ut absciderentur. Qualis voluntas & cooperatio directæ cum desideretur in iis, qui rei illicitæ, etiam naturâ suâ periculosæ, operam dantes corporis sui membrum vel istius partem amiserunt, Jure spectatò immunes erunt ab irregularitate: à qua eos etiam absolvunt Toletus *Lib. 1. Summa cap. 82.* Vasquez *1. 2. dist. 100. n. 45.* Coninck *dist. 18. de Irregularit. n. 108. cit.* Palao *p. 12. n. 3.* & Hurtadus *Dist. 2. de Irregul. n. 52.*

Quin imò non desunt, qui cum **22.** *Salonio 2. 2. q. 65. art. 1. controvers. 2.* ab ea etiam absolvant castratos, causâ retinendæ vocis & cantûs, eâ persuasî ratione; quòd textus Juris irregularitatem inducentes loquantur de sui mutilatione facta ex indignatione aut indiscreto zelò, hoc est, studiò conservandæ Castitatis.

Verùm, etsi irregulares censendi non sint, qui à parentibus in infantia, aut postea ab his vel ab aliis invitati aut inscii, sive cantûs sive aliam ob causam, castrati sunt, ut colligitur ex *can. Qui partem cit. can. Eunuchus 8. can. Si quis 9. cit. dist. 55. & c. Ex parte 3. cit.* verius tamen Tannerus *2. 2. dist. 4. q. 8. n. 101.* eumque secuti Card. de Lugo *de I. & I. dist. 10. n. 23.* Thesaur. *de Pœnis Eccles. p. 2. V. Memb. mutilatio cap. 1.* Bonacina *cit. p. 2. n. 34.* Lezana *Q. Q. Regul. Tom. 3. V. Irregularitas n. 75.* pro irregularibus habent eos, qui vocis causâ castrari se liberè permiserunt: quorum sententiam amplexi sunt Diana *p. 6. Tract. 8. Miscell. resol. 36.* Et Engel *ad hunc Tit. n. 12.* Moventur; quòd *can. Si quis 4. can. Qui partem 6. c. Si quis à Medicis 7. dist. cit. & c. Ex parte cit.* ab Ordinum susceptione & susceptorum exercitio generaliter repellantur omnes, qui ita sibi vim inferre ausi sunt, vel affectarunt:

feclārent: & ratio pariter generalis reddatur; quod sint sui quasi homicidæ & injurii Deo, penes quem solum est dominium vitæ ac membrorum, & non penes ipsum hominem, l. *Liber homo* 13. ff. ad L. *Aquil.* Unde huic in sui mutilationem consentire non licet, nisi quatenus id exigat necessitas sive salus totius corporis vel membri istius principalis, ut cum S. Thoma 2. 2. q. 56. art. 1. communis sensus est DD. & delumi solet ex *Novell.* 142. cujus *pr. & cap. 1.* castratio, tanquam Divinis & humanis legibus contraria, feveriffimè prohibetur.

Neque sui castrationi & in hanc consensui patrociniū efficac præstat; quod excellentia vocis sit magnificianda & magnum bonum corporale; quod per eam homo acceptus reddatur Principibus, & ad lautam corporis sustentationem sufficientia stipendia comparentur; quia hæc minora bona, quàm malum sit probrum evirationis: & si majora essent, inde non rectè inferretur, vocem conservandam sui mutilatione, privato non nisi ad vitæ aut principalis membri: publico autem Magistratui ad Reipublicæ ejusque felicitatis conservationem permiffa, ut *cit. D. Angel.* ostendunt laudati Diana & Engel n. 14.

23. Dubium est, an cum vitatis corpore ad Ordines & Divinum ministerium valeat dispensari. Ratio dubitandi est; quod eorum irregularitas descendat ex Jure Divino, Levitici *cap. 21. à v. 18.* ad panes offerendos Deo & ministerium ejus accedere vetante hominem, *Si cæcus fuerit, si claudus, si parvò vel grandi vel tortò nasò, si fractò pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo &c.* Verùm hoc non fuit ex veteris Legis Moralibus, sed solummodo ex Cæremonialibus ejus præceptis: quæ Christi morte expirarunt & desie-

runt obligare, per tradita *Dissert. Proem.* n. 43. & in Nova Lege quoad corpore vitiatos non eò rigore, quò in veteri obligabat, Ecclesiastica auctoritate hinc resuscitatum; cum ut n. 5. monni, ab Ordine & ministerio sacro vitia corporis non omnia, sed ea solum removeant, quæ Ordinis impediunt usum aut notabilem asserunt deformitatem; ut addit in Jure Ecclesiastico, veterem legem quoad corpore vitiatos resuscitante, eoque ab Ordinatione & ministerio sacro removeante, dispensari auctoritate Ecclesiastica posse, satis sit exploratum. Dispensare eamtem cum corporis vitio laborantibus ad Ordines solus Papa potest: qui id etiam rarè admodum, imò, si defectus vitæ notabilis sit, propter periculum irreverentiæ Sacramento timendæ & populi scandalum, nunquam solet, ut cum Innocentio in *c. Cum de tua cit. adnotant cit.* Navarrus n. 200. Corradus n. 7. & Suarez s. 2. n. 18.

Quando etiam Papa dispensat, cum Oratore in Curia præsentè facit, commiffa Datario aut aliis probis ac circumspèctis viris inspectione & consideratione vitii seu defectus: & intellectus, eum talem non esse, ut notabile scandalum in populo generet, illi dispensationis gratiam ipse concedit. Quando autem Orator absens est, concessis ei literis non ipse dispensat: sed Episcopo, dilectissimo ipsius Oratoris Ordinario, mandatis, ut inspectò per seipsum & consideratò defectu, si eum talem non esse judicet, ut scandalum generet & aliud Canonicum non obstat, cum eo dispenset; ut ad omnes etiam sacros & presbyteratus Ordines promovet & promotus in iis ministrare valeat *arg. c. Cum de tua cit. Rebuffus Prax. Benef. Tit. de Dispens. cum corp. vitiat. n. 7. & Corradus Lib. 3. Prax. Dispens. Apostol. cap. 6. à p. 16.*

Excipit-

Excipienda tamen inprimis est irregularitas, orta ex voluntaria abscissione alicujus partis proprii corporis; in ea enim, quando delictum omnino occultum est, dispensandi facultatem, vigore decreti S. Synodi Trident. *Sess. 24. cap. 6. de Ref. & aliis DD. allegatis, Episcopo adstruunt cit. Palao p. 12. n. 6. & Pirthing n. 15.* Deinde etiam, cum vitium corporis Sacrorum Ordinum susceptio-

nem subsecutum, & sine culpa contractum est, in irregularitate ex eo orta cum Religiosis sibi subjectis saltem, si exercitium Ordinum adhuc sint capaces, & deformitas valde gravis & enormis non sit, Prælatos Regulares vi Privilegii Apostolici dispensare posse, docent Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. quæst. 8. art. 3. conclus. 3. Laiman cit. cap. 7. n. 3. in fine, & cit. Palao p. 12. n. 6.*



TITULUS XXI.

De Bigamis non Ordinandis.

SUMMARIUM.

1. Bigamia ab Ordinibus repellens triplex est.
2. Vera, qua contrahitur duplici matrimonio.
3. Etiam ante baptismum consummatò.
4. Est ante eum susceptum occidens ad Ordines admittatur.
5. Interpretativa, qua contrahitur conjugio cum vidua vel corrupta.
6. Ab alio, non ab ipso eam ducente consummatò.
7. Vel accessu ad propriam conjugem adulteram.
8. Vel alterò conjugio invalidò post.
9. Vel ante sacram Ordinationem consummatò.
10. Similitudinaria, qua contrahitur conjugio post SS. Ordines.
11. Vel Professionem religiosam consummatò.
12. Privilegia clericorum retinent Similitudinarii.

13. Et alii bigami sacris initiati vel Profess.
14. Solutus Papa ad Ordines majores.
15. Et ad minores quoque in irregularitate orta ex Vera.
16. Et Interpretativa bigamia dispensat.
17. In ea, qua ex Similitudinaria.
18. Et ex delicto occulto orta est, Episcopis.
19. Et Prælati Regulares exempti cum Religiosis subditis suis dispensant.
20. In literis impetrationis bigamia speciem.
21. Non etiam trigamiam exprimi est necesse.

Celebre etiam eorundem Ordinum impedimentum est Bigamia, hoc est, duplicatio sive iteratio matrimonii, *can. Aperiant. 31. q. 1.* quod à DD. vocari solet defectus Sacramenti, sive potius perfectæ significationis Sacramenti matrimonii consummatij cum enim hoc institutum sic ad significandam

f.

ardiss.